

De ritu recitandi vide Rubricas generales praefixas Breviario, et Rubricistas Gavantum, Lohnerum, Halden, Merati et alios.

§. VIII. Quae ante et sub ordinatione observanda sint ab ordinando Subdiacono.

1070. I. Pridie, vel ipsa die ordinationis emitti solet professio fidei in loco designato. In fine formulae professionis ad illa verba: *Ita spondeo, voveo, ac juro: sic me Deus adjuvet*, indicem et medium digitum imponit Evangelio illius diei, sequentibus vero verbis: *Et haec sancta Dei Evangelia*, addit, manu mea corporaliter tacta, dein recitat initium Evangelii.

1071. II. Ante ordinationem observet, primo, quod ordinandus Subdiaconus debeat habere vestes sacras, scilicet *Amictum*, sive Humerale, *Albam*, *Cingulum*, *Manipulum*, *Tunicellam*, ac denique, praeter dictas vestes, candelam. 2. Paulo ante ordinationem in Sacristia, vel alio loco designato humerale imponit capiti ad modum cuculli, dein induit albam, et cingulo se praecingit; postea humerale removet a capite, ita ut jaceat circa collum: tunicellam complicatam imponit brachio sinistro: manipulum tenet manu sinistra, dextra vero candelam nondum accensam.

III. In ipsa ordinatione observanda sunt: 1. Cum Archidiaconus dicit: *Accedant, qui ordinandi sunt Subdiaconi*, surgunt, et propius accedunt ad altare, et dum cujuslibet nomen est lectum cum titulo, ad quem ordinatur, dicit quilibet alta voce, *Adsum*. Tum Clerici stantes excipiunt admonitionem Episcopi, quae incipit: *Filii dilectissimi*.... et finitur: *In nomine Domini huc accedite*. Qua finita cum Diaconandis et Presbyterandis se prosternunt in terram, uti die Parasceves Sacerdos cum ministris, et sic jacent, usquedum finitae sint Litaniae omnium Sanctorum.

Secundo, finitis Litanis surgunt, et facta reverentia in modum coronae flectuntur coram Episcopo, qui eos rursus admonet: *Adepturi, filii charissimi*.... quod ipse vobis praestare dignetur, qui vivit et regnat Deus in saecula saeculorum. R. *Amen*.

Tertio, post admonitionem surgit primus, et genuflexus ante Episcopum tangit calicem vacuum cum patena vacua, ita quidem ut pollicem imponat patenae, digitis vero tangit cuppam calicis, idque tamdiu, donec Episcopus dixerit: *Videte, cujus ministerium vobis traditur; ideo vos admoneo, ut ita vos exhibeatis, ut Deo placere possitis*.

Quarto, post haec Archidiaconus tradit urceolos cum pelvi ac manutergio. Ordinandus (vel adhuc flectens coram Episcopo, vel ut alibi moris est, in cornu epistolae) manum dexteram (vel utramque manum pro more dioeceseos) ita applicat, ut digiti tangant manutergium et urceolos, pollex autem interiorem partem pelvis, quae etiam dicitur *bacile*. Deinde recedit ad locum suum, ibique flectit, donec Episcopus stans cum mitra dixerit: *Oremus, Deum ac Dominum nostrum*.... per omnia saecula saeculorum. R. *Amen*. Tum deposita mitra Episcopus conversus ad altare dicit: *Oremus. Ministri: Flectamus genua. Levate*. Et mox Pontifex versus ad ordinandos genuflexos dicit sine mitra: *Domine sancte, Pater*.... Per D. N. J. C. R. *Amen*.

Quinto, finitis his orationibus, Episcopus accepta mitra sedet, et primus ordinandus surgit, et immediate ante Episcopum flectit, qui ejus capiti imponit amictum, dicens: *Accipe amictum, per quem designatur castigatio vocis, in nomine Patris †, et Filii †, et Spiritus Sancti †*. Tum respondet ordinandus, *Amen*. Deinde porrigit manipulum (quae est vestis propria Subdiaconi) quem Episcopus immittit brachio sinistro, dicens: *Accipe manipulum, per quem designatur fructus bonorum operum, in no-*

mine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Ordinandus iterum respondet, *Amen*. Post haec Episcopus imponit ei tunicellam, dicens: *Tunica jucunditatis et indumento laetitiae induat te Dominus, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti*, ac ipse respondet, *Amen*.

Sexto, omnibus indutis, tres vel quatuor flectunt coram Episcopo, qui eis tradit librum Epistolarum, quem simul omnes tangunt manu dextera (Herbipoli utraque) ita ut pollex tungat chartam, reliqui vero digiti imponantur libro, dicente Episcopo: *Accipite librum Epistolarum, et habete potestatem legendi eas in Ecclesia sancta Dei, tam pro vivis, quam pro defunctis, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti*, ac tum quilibet respondet, *Amen*.

Septimo, postquam omnes tetigerunt librum, suggerente Archidiacono, recedunt ad locum, ubi ab initio fuerunt; primus autem ex ordinatis Subdiaconis tempore Epistolae legit vel cantat Epistolam stans ex cornu Epistolae.

IV. Post ordinationem observanda sunt: primo, quando Episcopus legit Offertorium, accenduntur candelae: dein unus post alterum, primo quidem Sacerdotes, deinde Diaconi, tum Subdiaconi, et sic deinceps accedunt, et quilibet facta, reverentia genuflexus porrigit candelam suam, simul osculans manum dexteram Episcopi, vel potius anulum, et facta denuo reverentia recedit ad locum suum.

Secundo, post *Agnus Dei* et primam orationem accedit primus neo-Sacerdotum, dein primus neo-Diaconorum, tum primus neo-Subdiaconorum, factaque prius genuflexione Sacramento, osculatur altare extra corporale, et accipit pacem ab Episcopo, ita ut sinistrae genae conjungantur, et ipse ponit manus infra brachia Episcopi, et dicenti Episcopo: *Pax tecum*, ipse respondet, *Et cum spiritu tuo*. Facta dein reverentia Sacramento recedit, et proximo neo-Subdiacono (manus ejus humeris imponens) dat pacem dicens: *Pax tecum*; et sic unus alteri. Si adsint Minoristae, ultimus Subdiaconus Acolytho pacem dat, et hic reliquis.

Tertio, postquam Episcopus sumpsit sacrum Sanguinem, accedunt omnes neo-ordinati, et genuflexi post Sacerdotes dicunt: *Confiteor* (exceptis tamen Sacerdotibus): dum Episcopus dicit: *Indulgentiam, absolutionem*, bini et bini secundum ordinem, primo scilicet neo-Sacerdotes, dein Diaconi, postea Subdiaconi etc. accedunt ad supremum gradum altaris, accipiunt sacram Eucharistiam, prius tamen osculantes manum Episcopi dexteram, qua sacram hostiam tenet. In aliquibus tamen dioecesibus propter incommoditatem Episcopus non praebet manum deosculandam.

Quarto, data benedictione, accedunt omnes ad altare, Episcopus vero alloquitur neo-ordinatos: *Filii dilectissimi*.... Postea injungit Subdiaconis et Diaconis Nocturnum illius diei recitandum, neo-ordinati inclinatione capitis respondent, se id facturos.

§. IX. De Diaconatu.

1072. Q. I. Quid sit Diaconatus? R. Diaconatus vi vocis significat ministerium a *διακονέω*, ministro, officium vel operam praesto; hinc Diaconus idem est ac minister. Secundum rem est ordo major et sacer, quo per impositionem manus dexterae Episcopi, et traditione libri Evangeliorum sub certis verborum formis ab Episcopo prolatis confertur potestas spiritualis in sacrificio Missae proxime assistendi Presbytero et cantandi solemniter Evangelium. Primo, dicitur Ordo, cujus mentio frequens est in Actis Apostolorum; et Tridentinum sess. 23. can. 2. definit: *Si quis dixerit, praeter Sacerdotium non esse in Ecclesia Catholica alios ordines et majores et minores, per quos velut per gradus quosdam in Sacerdotium*

tendatur, anathema sit: atqui inter illos ordines, per quos ad Sacerdotium ascenditur, etiam est Diaconatus: ergo est ordo. *Secundo*, dicitur *major*, quia proxime accedit ad ministerium altaris. *Tertio*, sacer dicitur, quia annexum habet votum vel obligationem castitatis.

1073. Q. II. An Diaconatus sit Sacramentum? R. *Affirmative. Prob.* Diaconatus habet omnia requisita ad rationem Sacramenti; ergo. *Prob. anteced.* 1. Est *signum sensibile*, quod est impositio manus Episcopi, et traditio libri Evangeliorum. 2. Est *signum collativum gratiae*, ut constat ex forma hujus ordinis: *Accipe Spiritum Sanctum*: et *Trid.* sess. 23. can. 4. definit, Episcopos non frustra dicere per sacram ordinationem: *Accipe Spiritum Sanctum*: et per eam imprimi characterem: ergo. *Confirm.* 1. Anastasius II. circa annum 496. scribens ad Anastasium Imperatorem c. 7. expresse innuit, per *Ordinationem Presbyteri et Diaconi conferri gratiam Sacramenti*. 3. Est *institutionis divinae*: *Trid.* enim sess. 23. can. 6. ita definit: *Siquis dixerit, in Ecclesia Catholica non esse Hierarchiam divina ordinatione institutam, quae constat ex Episcopis, Presbyteris, et Ministris, anathema sit.* Atqui Diaconi sunt principales ministri in Hierarchia Ecclesiastica: ergo sunt ex institutione divina. Alii sic inferunt: Ex cit. can. *Trid.* fide divina tenemur credere, in Hierarchia Ecclesiastica esse aliquos ministros divinitus institutos: atqui ob diversitatem opinionum variorum Theologorum nondum tenemur credere fide divina, Subdiaconos, aut inferiores ministros esse divinitus institutos: ergo superest unice, ut Diaconi fide divina credantur divina ordinatione instituti. *Confirm.* ex testimonio s. Ignatii Martyris, qui in epistola 14. ad Ephes. scribit: *Enitimini, charissimi, subjecti esse Episcopo, et Presbyteris, et Diaconis; qui enim his obedit, obedit Christo, qui eos constituit.* *Confirm.* etiam ex trito *S. Aug.*: Quod in nullo Concilio institutum legitur, et semper ubique observatum et observandum est, illud institutionis divinae credi debet; atqui Diaconorum ordo in nullo Concilio institutus legitur, et in Ecclesia Dei extitit tempore Apostolorum, et deinceps semper et ubique tum in Ecclesia Graeca, tum in Latina retentus et observatus fuit: ergo Diaconorum ordo divinitus institutus esse credi debet.

Si dicas: S. Cyprianus epist. 65. ad Rogatianum scribit: *Meminisse autem Diaconi debent, quoniam Apostolos, id est, Episcopos et Praepositos Dominus elegit, Diaconos autem post ascensum Domini in coelos Apostoli sibi constituerunt Episcopatus sui, et Ecclesiae Ministros.* R. Dist. Apostoli Diaconos constituerunt per ordinationem, C. quoad primariam institutionem, N.

1074. *Inst.* Ex c. 6. Act. Apost. potius eruitur, Diaconatum esse tantum ministerium profanum dispensandi eleemosynas, et ministrandi mensis, non vero spiritualem potestatem; ibid. enim ita legitur: *Non est aequum, nos derelinquere verbum Dei, et ministrare mensis. Considerate ergo, fratres, viros ex vobis boni testimonii septem, plenos Spiritu Sancto, et sapientia, quos constituamus super hoc opus.* R. Ministrare mensis fuit solum officium Diaconorum, N. Secundarium tantum, C. Ex cit. cap. sequitur solum, quod murmur Graecorum adversus Hebraeos fuerit occasio eligendi septem Diaconos, scilicet *Stephanum, Philippum, Prochorum, Nicanorem, Timonem, Parmenam et Nicolaum*, qui curam gererent viduarum, quarum victui necessaria suppeditabat Ecclesia, et mensis praeficerentur; constat autem ex Scriptura et traditione, Diaconos ad spiritualia et augustiora officia fuisse ab Apostolis ordinationes. Dixi 1. *Constat ex Scriptura*: nam in textu cit. eliguntur septem *pleni Spiritu sancto et sapientia*: hae dotes sane aliud spectant, quam ministerium mensarum.

Ibid. v. 6. legitur: *Et orantes imposuerunt eis manus*; ergo ordinati sunt iisdem plane caeremoniis, quibus Saulus et Barnabas Actor. 13. et alii ministri sacri, scilicet oratione, et impositione manuum. Ibid. vers. seq. s. Stephanus Jerosolymis dicitur verbum Dei praedicasse, imo signis et prodigiis confirmasse. Actor. 8. Philippus Samariae praedicavit Christum, et fecit multa signa. Et juxta v. 35. c. 8. Eunuchus Reginae Candacis evangelizavit Jesum, eumque baptizavit. Ergo eorum officium non tantum erat ministrare mensis.

Dixi 2. *ex traditione*. S. Ignatius Martyr epist. ad Trallianos scribit: *Oportet et Diaconos ministros existentes mysteriorum Jesu Christi, secundum modum omnibus placere; non enim ciborum et potuum sunt ministri, sed Ecclesiae Dei.* S. Justinus saeculo II. scribit Apol. 2., Diaconos fidelibus *Eucharistiam distribuisse*. S. Laurentius (teste s. Ambrosio) Xysto II., cum duceretur ad martyrium, dixit: *Tu nunquam sine ministro Sacrifcium offerre consueveras. Quid ergo in me displicet Paternitati tuae? ... experire, utrum idoneum ministrum elegeris, cui commisisti Dominici Sanguinis dispensationem.* Ergo Diaconorum officium solum non erat ministrare mensis.

1075. Q. III. Quenam est materia et forma Diaconatus? R. ex Theologia Scholastica. *Clericatus* de Sac. Ord. decis. 29. a n. 5. quinque refert opiniones circa hanc quaestionem, e quibus tres sunt celebriores. *Prima* tenet, quod sola manus Episcopi impositio super caput ordinandi sit materia essentialis. Hanc sententiam *Morinus* tribuit *D. Bonav.* *Secunda* tenet, in ordinatione Diaconi materiam esse traditionem libri Evangeliorum. Hanc defendunt *Ricardus, Paludanus, Greg. de Valentia, Lud. Meratius, Bonac.* de Sac. Ord. disp. 8. q. un. pun. 3. n. 4., *Card. de Lauraea* et alii. *Tertia* defendit, non solum manus impositionem, sed et traditionem libri Evangeliorum esse materiam Diaconatus. Hanc sententiam iterum dupliciter hodie defendunt: alii enim affirmant, utramque esse essentialem, alii vero dicunt solam manus impositionem esse de essentia Diaconatus, traditionem vero libri Evangeliorum esse de praecepto Ecclesiae, ideoque ordinatum sine hac traditione non posse licite exercere suum ordinem, sed caute prius supplendum esse, quod incaute fuerat praetermissum. Addunt praeterea, quod ad traditionem libri Evangeliorum propterea non dicatur frustra: *Accipe potestatem*, ex eo, quod jam collata sit per manus impositionem, sed collatam potestatem tunc publice designari et declarari. *Ratio* horum est, quia haec traditio nec ab Apostolis fuit adhibita (tunc enim nondum erat conscriptum Evangelium) nec modo adhibetur a Graecis in ordinatione Diaconorum.

1076. Ex his sequitur sententiam magis communem esse, quod tum impositio manus Episcopi, tum traditio libri Evangeliorum sit materia essentialis Diaconatus. *Forma* pariter est duplex. Prima, quae correspondet impositioni manus, consistit in his verbis: *Accipe Spiritum sanctum ad robur, et ad resistendum diabolo, et tentationibus ejus, in nomine Domini.* Altera forma correspondens traditioni libri Evangeliorum est: *Accipe potestatem legendi Evangelium in Ecclesia Dei tam pro vivis, quam pro defunctis in nomine Domini.* *Prob.* per partes. Imprimis manus impositio est de essentia Diaconatus, quia hoc modo ordinati sunt primi septem Diaconi. Act. c. 6. v. 6. *Et orantes imposuerunt eis manus.* *Confirm.* 1. ex concilio Carthag. IV. quod can. 4. ita statuit: *Diaconus cum ordinatur, solus Episcopus manum supra caput ejus ponat.* *Confirm.* 2. ex antiquissimis Ritualibus usque ad saeculum IX., ubi in ordinatione Diaconi semper fuit adhibita, et hodie adhabetur impositio manus Episcopi.

1077. Deinde etiam traditio libri Evangeliorum est materia essentialis, licet secundaria. *Prob.* 1. ex concilio Flor. quod in Decreto *Eugenii IV.* loquens de ordine ait: *Sextum Sacramentum est ordinis; cujus materia est illud, per cujus traditionem confertur;... Diaconatus vero traditur per libri Evangeliorum dationem.* Atqui materia est de essentia Sacramenti: ergo juxta *Flor.* traditio libri Evang. ita est de praecepto, ut sit de essentia simul. *Confirm.* primo, ex Pontificali Rom. impresso ann. 1582. jussu *Gregorii XIII.* in quo P. 1. de ordinat. Diac., dum Episcopus tradit librum Evang., notatur in margine: *In hoc actu imprimatur character hujus ordinis:* ergo ad traditionem libri Evang. etiam confertur ordo Diaconatus. *Subs.* Atqui ordo confertur, dum traditur materia, et pronunciantur verba: ergo. *Confirm.* secundo. Illa debet censi vera materia alicujus ordinis, cujus traditioni conjungitur forma expressiva ministerii, sive potestatis alicujus ordinis; sicut enim effusioni aquae conjungitur forma expressiva effectus baptismi; ita forma in Sacramento ordinis debet exprimere potestatem, quae confertur ordinato: atqui traditioni libri Evangeliorum clarissime Episcopus conjungit formam expressivam ministerii Diaconalis: ergo. Plura apud *Bellarmino*. de Sac. Ord. c. 9., *Hallerium*, *Isambertum*, *Laym.* L. 5. t. 9. c. 5., *Cajet.*, *De Lugo*, *Salmant.* et alios.

1078. *Neque dicas:* Apostoli ordinando primos Diaconos non tradiderunt librum Evangeliorum: ergo haec traditio non est de essentia. *Confirm.* In nullo concilio ante Florent. enunciatur haec traditio libri Evang., nec ullum Rituale, aut auctor Catholicus primis nongentis annis post fundatam Ecclesiam facit ejus mentionem: ergo. Respondet ad haec *Mastrius* in 4. L. Sent. d. 4. de Sacram. Ord. n. 36 cum *Bellarmino*, *Coninchio*, *Marchino*, *Aversa*, et aliis: sicut Christus instituit externam peccatorum confessionem, tanquam determinatam materiam poenitentiae; num autem haec facienda sit verbo, vel scripto, aut aliis signis sensibilibus, non determinavit, sed Ecclesiae determinandum reliquit; item sicut materiam et formam matrimonii instituit consensum contrahentium externis verbis, vel aliis signis expressum; haec autem signa in particulari non determinavit, sed ea communi usui, et Ecclesiae dispositioni reliquit: ita pariter instituit materiam hujus ordinis in traditione alicujus rei, qua Diaconi officium designaretur; quatenam autem res in individuo tradi deberet, hoc determinationi Ecclesiae reliquit. Sic facile conciliantur ritus diversi Ecclesiae tum primitivae tempore Apostolorum, tum hodiernae Ecclesiae Latinae et Graecae; semper enim ordinarunt Diaconos per signum sensibile, et verba, quae collationem potestatis Diaconalis tum ad mentem Christi, tum ex dispositione Ecclesiae significant. Infert porro *Bonacina*, quod ex peculiari facultate Christi concessum quidem fuerit Apostolis, conferre Diaconatum sine traditione libri Evangeliorum, cum nondum esset editum Evangelium; non tamen hanc unicam materiam, scil. impositionem manus ita fuisse institutam a Christo, ut Apostolis, et eorum Successoribus non simul dederit potestatem conferendi ordinem per traditionem instrumentorum, quibus indicatur potestas, quae in unoquoque ordine confertur. *Confirm.* Licet Sacramentum Confirmationis ab Apostolis (Act. 8. et 19.) collatum fuerit sola manus impositione, non facta ibi mentione unctionis chrismatis; utraque tamen et impositio manus, et chrismatio est materia hujus Sacramenti: ergo a pari.

Praeterea recte ait *Clericatus* l. c. decis. 29. n. 32. cum initium scriptum non reperiatur, quando coeperit Ecclesia ordinare Diaconos cum traditione libri Evangeliorum, recte dici potest, procedere ex traditione Apostolica, cujus fidelissima custos est Ecclesia Romana. Testatur *Morinus*

Tr. de Sac. Ordin. p. 3. Exercit. 9. c. 1. n. 4., in Sacramentario Anglicano, quod ante annos octingentos scriptum est, expresse ita haberi: *Postea tradit ei (Diaconando) Episcopus sanctum Evangelium, dicens: Accipe istud volumen Evangelii, lege et intellige, et aliis trade, et tu opere adimple.* In Rituali Bellovacensi, teste *Morino*, quod scriptum est anno 970., in ordinatione Diaconi ita legitur: *Tunc porrigit Episcopus ei textum Evangelii, ita dicens: Accipe licentiam legendi Evangelium in Ecclesia Dei.*

1079. Q. IV. Quatenam sint officia Diaconi? R. Comprehenduntur hoc versu:

Praedico, baptizo, dispenso, canto, ministro.

Probatur ex admonitione Episcopi, ubi ita habetur: *Diaconum enim oportet ministrare ad altare, baptizare, et praedicare.* Ad ministrare reducitur cantare Evangelium, et dispensare Eucharistiam. *Primum igitur officium est* ab ultimo verbo versus, *Ministrare*, hoc est, Sacerdoti sacrificanti immediate assistere, ministrare illi hostiam cum patena; vinum autem in calice cum Sacerdote offert, brachium dextrum Sacerdotis sustentans, et dicens: *Offerimus, tibi Domine* etc. Hostiam non offert cum Sacerdote; illius enim oblatio peragitur a solo Sacerdote, ut patet ex verbis: *Quam ego indignus famulus tuus offero;* calicem vero cum toto populo offert, cujus nomine Diaconus cum Sacerdote dicit: *Offerimus.*

Secundum Officium est *cantare solemniter Evangelium* in Missa, hoc est, ex officio, et cum veste propria Diaconi, scil. cum stola transversa.

Tertium est dispensare Eucharistiam, non tamen sine commissione Parochi. In casu necessitatis, v. g. dum viaticum esset deferendum ad moribundum, affirmat *Gobat* in Theol. exper. t. 4. n. 445. cum *Quintanad.* posse Diaconum, absente Parocho, dispensare Eucharistiam, eoquod tum sit tacita voluntas Ordinarii.

Quartum est baptizare, idque cum solemnitatibus et caeremoniis ab Ecclesia praescriptis in Rituali tum quoad exorcismos et insufflationes, tum quoad praescriptas unctiones; intellige tamen, si id officii ab Episcopo vel proprio Sacerdote ob rationabilem causam Diacono committatur, puta, si proprius Sacerdos ob gravem infirmitatem, vel ob baptizandorum multitudinem, vel excommunicationis censuram baptismum vel per se, vel per alium Sacerdotem nequeat conferre. Ita *Laym.* L. 4. t. 2. c. 7. n. 3. Vide etiam c. *Diaconus.* dist. 93. Quod si Diaconus sine commissione Parochi baptizet solemniter, incurrit irregularitatem decretam in c. 1. de Cler. non Ordin. Ministr.

Quintum est praedicare, Hoc est (juxta *Gobat* l. c. t. 8. n. 81.) per modum catechismi exponere fidei articulos: ex commissione autem Parochi ei tantum licet ex pulpito per modum concionis verbum Dei praedicare. NB. Diaconus solemniter ministrans Eucharistiam, praedicans, baptizans debet esse indutus Alba, et stola transversa.

1080. Q. V. Quid requiratur ad hoc, ut quis valide et licite suscipiat Diaconatum? R. ad utrumque, ut supra n. 1001. et seq. Excipe aetatem, Diaconus enim debet habere annos viginti et duos completos, vel vigesimum tertium saltem inchoatum. De interstitiis vide n. 1014., de obligationibus Diaconi n. 1017. quibus adde, quod Diaconus teneatur scire rite fungi suis officiis. *Minister* hujus ordinis est Episcopus.

1081. *Si dicas:* Olim fuerunt etiam ordinatae Diaconissae: ergo ad valide suscipiendum Diaconatum non requiritur, ut ordinandus sit mas. Respondet *Card. de Lauraea* sub dist.: Ordinatae sunt ordinatione propria et sacramentali, collativa alicujus potestatis circa ministerium altaris, N.

Mere caeremoniali, et simplici benedictione. C. *Instas.*: Ordinatae sunt per manus impositionem. R. *Dist.* Consecratiuam, N. Mere deprecatiuam, C. Porro juxta *Clericatum* de Sacram. Ord. decis 31. n. 11. primo Diaconissae vocabantur illae mulieres, quarum mariti de earum consensu assumebantur ad ordinem Diaconatus: hae enim uovebant continentiam, et ad imitationem viduarum seruebant Deo. 2. Magis proprie vocabantur Diaconissae illae virgines vel viduae, quae virtutibus ornatae eligebantur, et caeremonialiter initiabantur Diaconissae, quarum officia erant, custodire januas Ecclesiarum, de quibus s. Ignatius in epist. ad Antioch.: *Saluto sacrarum portarum custodes Diaconissas.* Item catechumenas docere symbolum fidei, et orationem Dominicam, assistere mulieribus catechumenis, dum baptizabantur, deferre ad egenas eleemosynam, visitare mulieres infirmas, mortuas vestire etc.

1082. Q. VI. Quibus potissimum virtutibus debeant esse ornati Diaconi? R. Eae desumuntur ex admonitione Episcopi ante ordinationem: *Estote nitidi, mundi, puri, casti, sicut decet ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei ... et quia comministri et cooperatores estis corporis et sanguinis Domini, estote ab omni illecebra carnis alieni ... Curate, ut quibus Evangelium annunciat, vivis operibus exponatis.*

1083. Q. VII. Quo ritu conferatur Diaconatus? R. 1. Ante ordinationem indutus amictu, alba, cingulo et manipulo, tunicellam sive dalmaticam habens super brachium sinistrum, et tenens stolam, dextera vero candelam comparet in loco ordinationis. Vocatus nominatim ab Archidiacono, respondet: *Adsum.*

II. In ipsa ordinatione 1. lecta Epistola evocantur ab Archidiacono, dicente: *Accedant, qui ordinandi sunt ad Diaconatum.* Tum genuflexi coram Episcopo excipiunt ejus admonitionem, qua peracta, recitantur Litaniae (nisi ante jam dictae sint in ordinatione Subdiaconorum) postea Episcopus primo dicit orationem: *Commune votum* etc. *Oremus, fratres* etc. et Praefationem; ad cuius finem, dum dicit Episcopus, et admissa purgare, et ea quae sunt agenda, concedere, primus surgit, et ante Episcopum flectit, inclinans caput, cui Episcopus solus manum dexteram imponit, dicens: *Accipe Spiritum Sanctum* etc.; postea primus recedit, et accedit alius. In quibusdam vero dioecesibus, ubi plurimi simul ordinantur, Episcopus circumiens singulis in loco suo flectentibus manum imponit. Dein Episcopus tenens extensam manum dexteram, dicit: *Emitte in eos ... Per eundem D. N. J. C.* etc.

Post haec Pontifex sedens cum mitra cuilibet ordinando ante se genuflexo, stolam, quam singuli in manibus habent, imponit successive super humerum sinistrum, dicens: *Accipe stolam candidam de manu Dei: adimple ministerium tuum; potens enim est Deus, ut augeat tibi gratiam suam, qui vivit et regnat* etc. cui respondet, *Amen.* Interim ministri stolam alligant sub brachio dextero. Tum induit eum Episcopus tunicella, dicens: *Induat te Dominus indumento salutis, et vestimento laetitiae, et dalmatica justitiae circumdet te semper. In nomine Domini.* Ordinandus respondet, *Amen.* Quo facto recedit ad suum locum, si alii adhuc induendi sint, alias manet genuflexus.

Postremo indutis omnibus accedunt terni vel quaterni, quibus Episcopus tradit librum Evangeliorum, quem ipsi dextra tangunt, dicente Episcopo: *Accipe potestatem legendi Evangelium* etc. *In nomine Domini.* Respondent Ordinati, *Amen.* Tum facta reverentia recedunt, et flectunt, donec omnes tetigerint. Post haec Episcopus stans ad altare conversus sine mitra, dicit duas orationes.

Quibus finitis, facta reverentia (suggerente Archidiacono) redeunt ad loca sua, ubi ab initio, erant; primus tamen Diaconorum recitat sub Sacro, vel cantat Evangelium stans ex cornu Evangelii.

§. X. De Presbyteratu, sive Sacerdotio.

1084. Q. I. Quid sit Presbyteratus? R. Est ordo sacer et major, in quo per traditionem calicis cum vino, et patenae cum hostia, et per impositionem manuum Episcopaliū sub certis verborum formis alicui confertur potestas in corpus Christi verum, et corpus Christi mysticum. Ideoque duplex Sacerdoti datur potestas, scil. per consecrationem conficiendi corpus et sanguinem Christi, et simul potestas Christi fidelibus (hi enim sunt membra Ecclesiae, quae est corpus mysticum) remittendi vel retinendi peccata.

1085. Q. II. Est ne Presbyteratus Sacramentum? R. *Affirmative. Prob.* 1. Ad Sacramentum N. L. proprie dictum tria requiruntur: 1. ut sit signum externum: 2. ut sit signum institutum a Christo: 3. ut sit signum collativum gratiae: atqui haec tria habentur in ordinatione Presbyteri: ergo. *Prob. min.* Imprimis habetur signum externum per impositionem manuum, traditionem instrumentorum. Deinde est a Christo institutum, et collativum gratiae. De impositione enim manuum ait Apostolus 2. ad Timoth. 1. v. 6. *Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quae est in te per impositionem manuum mearum:* atqui nemo Apostolorum poterat impositioni manuum annectere gratiam Dei, sed solus Deus: ergo. Ne vero quis interpretetur gratiam improprie dictam, statim eam explicat s. Paulus, subjungens v. 7. *Non enim dedit nobis Deus spiritum timoris, sed virtutis, et dilectionis, et sobrietatis;* et 1. Tim. 4. v. 14. *Noli negligere gratiam, quae in te est, quae data est tibi per prophetiam cum impositione manuum Presbyterii.* De traditione instrumentorum n. seq. probabitur. *Prob. 2.* ex *Trid.* quod sess. 23. de Sacram. Ord. can. 3. ita definit: *Si quis dixerit, ordinem sive sacram ordinationem non esse vere ac proprie Sacramentum a Christo Domino institutum ... anathema sit.* Can. 6. cit. supra n. 1073. definit, Presbyteros pertinere ad Hierarchiam Ecclesiasticam divina ordinatione institutam.

1086. Q. III. Quenam sit materia et forma ordinis Presbyteratus? R. Triplex hic iterum est sententia. *Prima* asserit, solam manuum impositionem esse materiam hujus ordinis essentialem, traditionem vero instrumentorum esse materiam tantum integrantem ex praecepto Ecclesiae. Hanc defendunt *Morinus* de Sacram. Ord. p. 3. exercit. 7. c. 1. *Durandus, Becanus, Arcudius, Habert,* et alii. Inter hos tamen non una est opinio, quenam impositio manuum sit essentialis, an unica, vel duplex, imo triplex, an posterior. *Secunda* sententia affirmat, materiam ordinis Presbyteratus esse solam traditionem calicis cum vino, et patenae cum hostia: hanc defendunt *Vasquez, Gregor. de Valentia* t. 4. d. 9. q. 1. pun. 5. *Bonacin.* et alii. Nos cum *tertia* tenemus, quod duae sint partiales materiae ac formae ordinis Presbyteratus, quae integrant unum Sacramentum, ita ut postrema ordinationem primam moraliter perficiat, et characterem jam impressum augeat, ut ait *Laymann.* *Primae* ordinationis materia remota est calix cum vino, et patena cum hostia; *proxima* vero est traditio calicis cum vino, et patenae cum hostia. Forma huic materiae correspondens sunt haec verba ab Episcopo proferenda: *Accipe potestatem offerre sacrificium Deo, Missasque celebrare tam pro vivis, quam pro defunctis, in nomine Domini.* *Secundae* ordinationis materia est impositio manuum Episcopi super caput ordinandi cum sequenti forma: *Accipe Spiritum Sanctum, quorum remiseris peccata, remittuntur eis, et quorum retinueris, retenta sunt.* Ita *Bellarmin.* de Sac. Ord. l. 1. c. 9., de *Lauraea, Palao, Laym., Mastruis, Fagnanus,*